et leticiam optinuerit. Fugit dolor et gemitus. Et apprehendit
comitissa pueri mater suscitati laborem inusitatum et contra-
riam cum puero, properans nudis pedibus iter pro missum perfecit.
Secuta est autem eam comitissa marinicensis et alie mulieres
multe. capellanus etiam lambertus prenominatus et milites
multi qui omnes vidisse se puerum et vere mortuum et vere a mor-
te resuscitatum testificati sunt. Passio sancti Niciferi
In partibus orientis in civitate martiris.
sablonica erat quidam presbyter nomine sabricius et nicefe-
rus laicus amicissimus eiusdem presbyteri. ita ut ambo sic se
diligerent ut fratres gemini ex una matre nati. Cum
ergo per multas series annorum sic viverent. inimicus huma-
ni generis diabolus. fecit inter eos discordiam talem.
ut nec in platea optarent se obviare. Hoc enim per multum
tempus cum agerent. niceferus laicus postea penitencia ductus.
rogavit amicos ut irent ad presbyterum sabricium ut veniam ei
peterent. niceforo ut ei culpam indulgeret. suscipet eum ad pri-
ores amicicias. Ille vero noluit indulgere. Et iterum petivit
alios amicos ut irent et peterent indulgenciam. Nec
illis petentibus voluit indulgere. Et tercia vice alios atque
alios amicos ei transmisit. ut vel per ipsos culpam indulgeret
petenti. ut in ore duorum vel trium testium manifesta esset omnibus
venia quam per amicos continuos petebat. Ille vero duri cordis.
nec illis petentibus indulgenciam pristino amico ad veniam
concurrenti prestitit. Non enim fuit memor dicentis domini in-
dulgete et indulgebitur vobis. Religiosissimus autem nice-
forus ut vidit quod iam per tres vices contempsisset sabricius ami-
cos qui pro eo veniam postulabant. et noluisset indulgere.
ipse igitur perrexit ad domum sabricii. et prosternens se illi ad
pedes. veniamque petens publica voce rogabat eum. ut
presbyter religiosus veniam laico daret. ut christianus deo vivens
christiano indulgenciam preberet. et ut amicus amico se recon-
ciliaret. Sed nec illi ipsi rogaturi petentique noluit veniam